



GRATAROLO
1562









PESTIS DESCRI-PTIO, CAVSAE, SIGNA OMNIGENA, ET PRAESERVATIO.

Authore Gulielmo Grataroló Bergomate Medico.



PARISIIS,
Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.
1561.

grenier.

NOBILI ET MAGNIFICO VIRO DOMINO ASCAnio Marso Nuncio Cæsareo apud Heluetios Gulielmus Gratarolus.

S. D. P.

NON equidẽ me latet, amice candide, multos variis tẽporibus, libros in hac quoque medicæ facultatis parte editos esse, ita vt primo aspectu meus hic qualiscũque labor his præcipuè quibus multo facilius est quiduis reprehẽdere quàm facere vel imitari, superfluus omnino videatur. Attamen semper existimaui post tam multiplicem quacunque in facultate librorum copiam etiam occasionem præcipitem sciens, eum laudandum fore conatum, si quis rei non imperitus aut nouus sectator, scientiam aliquam (iuuãdæ quoque memoriæ causa) ad breuitatẽ, citra tamen obscuritatem, contrahat. Quod & si multis in rebus difficillimum sit, in hac nihilominus quam aggressus sum parte, mihi non adeò difficile visum fuit, vt à cœpto iuuãdi omnes officio me amouerit, in qua etiã parte nõnulla ab aliis (quod sciã) hactenus scripto publico non mandata, descripsi fideliter. Porrò autem cùm nihil ferè in publicum emitti sine tutore soleat, ac paruulis præsertim tutores dentur, nolui etiam li-

bellulum hunc meum ſine patrono relinquere. Delegi itaque tuam Dominationem, colende mi Marſe, non ignarus tamen longè maioribus rebus dignam eſſe præſtantiam tuam: neque verò hinc tui laudandi anſam accepi, quòd nec locus hic ſit, nec meis egeas vel alterius laudibus: quippe cuius, clari patris imitatione, agnita virtus, probitas, & in negotiis promptitudo, aliquot allexit principes, & tãdem ipſum Cæſarem, vt poſt patrem tuum, te quoque ab adoleſcentia in hanc vſque ætatem pluſquàm mediocribus & arduis officiis præfecerint. Me autem præterea impulit non vulgaris manſuetudo tua, ergáque omnem bonam doctrinam pietatémque amor tuus, nec nõ vt meum erga te ſincerum amorẽ hoc modo etiã ſignificarem: ſpero autẽ vt digneris te hoc tantillum donum: ac, ſapientũ more, animum potius dãtis ſuſcipias, nec ignarũ vulgũ ſequaris, quẽ penes vilia ſunt quæ paruo emuntur. Tibi enim libellũ hunc vtilẽ futurum non dubito, cùm plurimũ his in locis verſeris, vbi peſtis ſæuire nõ rarò ſolet. Sed, ne caput, corporis proportione, maius fiat, finem facio. Dominus Deus te ſuóſque omnes non minus à corporea, quàm à ſpirituali peſte tueatur. Inclytæ Baſileæ pridie Idus Quintilis M. D. LIIII.

PESTIS DESCRIPTIO, CAVSAE, SIGNA OMnigena, & præseruatio.

PESTIS ſeu peſtilentia *Peſtis.* Græcè λοιμὸς, eſt aëris uenenũ ſeu corruptio, maláue qualitas,& uapor quidã noxius, quo tracto, contagione primùm ſpiritus corporũ occultè inficiuntur, ac ſubinde humores, & præſertim cordis innata humiditas, qua putreſcente, febris accenditur omnium nocentiſſima: quam Auicenna prima quarti, febrem mali modi appellat, quòd latenter ægrum percutiat, ipſumq́ue necet: exterius enim corpus uidetur quietum, interius uerò admodum perturbatur. quam breuius ita generaliter deſcribere poſſumus, ut ſit febrilis lues quæ diris ac uariis modis plurimos citò perimat: eam enim febrem uaſtiſſima quæque urgere aſſerit Paulus Aegineta: eſtq́ue morbus peracutus.

Cauſas omnes adferre, difficillimum *Cauſæ.* ac longum foret, ideo præcipuas dicere

hîc sufficiat,ex quibus reliquæ dignosci poterunt. Certum est imprimis pestem flagellum Dei iustissimi peculiare dici, & esse, quo sine, cuncta disponente, aliæ secundæ causæ nihil agunt: punit uerò Deus peccata etiam in iustis hoc in sceleroso mũdo. Cœlum igitur, ut summi Dei admirandum instrumentum, id malum aliquando inferioribus afflat, uel dum conueniunt nocentia humano generi astra, quæ ab astrologis infortunæ uocantur: uel dũ cometæ, aliæq́ue aëreæ malæ impressiones cernuntur. Ex inferioribus causis sunt quæ in tota una regione, aut uno tãtum in populo uel una ciuitate, uel priuatis & unis ædibus molesta sunt. Priorem adferunt lacus, paludes, terræ motus, stagnantium aquarum fœtor, cloacarum ac latrinarum colluuies, quæ aërem uitiant: uel ubi commissum est prælium, insepultorum cadauerũ pestiferus fœtor, qui magis hominibus, ob naturæ similitudinẽ, quàm aliis animãtibus nocet, ut boum cadauera bobus, ac de aliis speciebus similiter: adhæc asiduus imber, multus Austri flatus, uentus è pestifero loco spirãs. Poste-

riorem odores fœtẽtes luti ac cœni, quæ in uiis publicis aggerũtur: olera, ut brassicæ, & arborũ erucæ: lini, cannabis, coriorum quæ aquis macerantur, graueolentia. Priuatæ uerò ædes eam sentiunt, cum cloacis seu latrinis aut sepulchretis, aliisúe fœtoribus uicinæ fuerint: uel si cadauer occultum in illis putrescat, si adeat qui in pestilẽti loco uersatus fuerit: si bibitur aqua in qua cadauer tabuerit, & similia. In unoquoque autem causa sunt humores multi aut praui ex uitioso uictu collecti, ac putredini facilè obnoxij: possunt enim ex Galeni sententia humores lethalibus uenenis similes generari. Vel denique propter malum & putridum aërem ambientem corpori inspiratum ob necessariam ac cõtinuam uiuentium inspirationem, quo potissimum spiritus, deinde humores & interanea, cor autem præcipuè, malè afficiũtur, in aliquo facilius, in alio autem tardius uel minimè, prout unus alio uariis & alibi uidendis causis, magis aut minus pati ex uaria corporum & uictus ratione, potest.

Signa futuræ pestis perquirere, ut ad *Signa.*

præcauendum utilissimum, ita pro uirili conabor: qualem autem hîc adhibuerim diligentiam, iudicet doctus & sincerus lector. Primum atque firmissimum & secundum naturã non solum signum, sed etiam causa, est pluuiarum assiduitas in fine ueris, uel in æstate, absque uentorum flatibus ullis, cum uehementi calore: uel si meridionales uenti flauerint: &, dum non pluit, turbidus tamen ac nebulosus aër conspicitur, pestilentiam futuram in fine æstatis, significatur: talem cõstitutionem in Cranone ciuitate olim Hippocrates descripsit, quam maxima & horréda pestis est subsecuta. Calor enim & humidum corruptionis parentes sunt, cùm motus illa nõ temperauerit. Secundum è cœlo signum sumi solet, cùm deliquia solis magna fiunt, aut cometes, aut igneæ flammæ, ac ueluti stellæ cadentes in cœlo, id est, aëre, uidentur: ex immodica enim siccitate ac uapore bituminoso, hæc quæ aërem etiam corrũpere possunt, fieri solent, potissimùm autumni tempore. Si arbores ardere uideãtur, certius est futuræ calamitatis signũ: quoniam iam aër ipse nos circunstans,

non ſublimis; qui minus ad nos attinet, infeſtatur. Quòd ſi aër quaſi puluerulentus menſibus aliquot perſeueret, ac ſint multæ craſſæ ac ſiccæ nebulæ, peſtem futuram denuntiat ſui generis. Cúmque uideris turbidum aërem ac nebuloſum autumni & hyemis tempore, ſperaueríſque pluuiam, nec tamen pluat, tunc ſcito eius temporis temperamentum corruptum. Aeſtiuam autem peſtilentiam deſignat etiam pluuiæ paucitas in uere cum frigore: cúmque ſubſequitur Auſter, conturbatúrque aliquot diebus aër modò cum frigore, modò cum calore: inde etiam exanthemata, hoc eſt uariolæ ac puſtulæ ſimiliáque deſignantur. Cũ autẽ peſtis & ab aqua & ab aere fiat, quæ ab aqua fit, cor magis petit: quę ab aere, cerebrũ. Sæuit omni tẽpore peſtis, ſed hyeme ac uere minus, æſtate magis, adhúcque magis autumno. Cùm panis aeri expoſitus mucorem trahit per noctem, habes iam corrupti aeris ſigna, proximámque, ſi nondum cœpit, peſtilentiam. Canum frequens rabies ob id peſtem nunciat, quòd hi uel ab aquis ut plurimum uel aere in rabiem aguntur:

ab aquis enim corruptis rabies etiã generatur. Similiter & luporum ingressus in urbem, & molestia assidua, rabiei in eis cuiusdam signum est: nimia enim audacia rabiem nuntiat: ab his igitur causis quibus hi aguntur in rabiem, corrumpuntur in hominibus humores, & pestis generatur. ob id etiam quandoque contingit ante pestem aues deserere oua atque nidos, & imperfectos seu immaturos pullos: omnia enim hæc signa sunt prædominantis atræ bilis, seu ob aerem, seu ob aquam corruptam. Oues præcipuè ante id tempus clade afficiuntur: imbecilliores enim ac similes ferè hominibus, natura ab eisdem causis quibus homines, pestem patiuntur. Ranarum multitudo, & blattarum in muris, ob superfluum humidũ pingue fit, quod naturæ humanæ aduersatur, & illi perniciem affert. Cùm uermes ac serpẽtes apparent, tum talpæ, id contingit quoniam cubilia propria deserunt ob molestiam uaporis qui sub terra continetur, quiq́ue ascendens aerem uitiat adeò infesto affectu, ut perniciem serpentibus afferre possit, nedum hominibus. Cúmque talia

frequenter & paſſim uidentur ac perſeuerant augenturque, tunc procul dubio peſtem futuram prænunciant. Aues etiã ſi hunc morbum concipiant, ingentis peſtis ſignum ſunt:nam cùm ſiccius animalium genus atque liberius eo morbo afficitur, multo magis etiam homines. Tranſire etiam in equos uiſus eſt.

Si in galla quercus non perforata(qui fructus rarò menſe Martio non perforatur) inuenitur araneus, peſtem nunciat:quamuis alij de uermiculo inibi reperto aſſerũt:ego illorũ neutrũ obſeruaui, etſi alterutrum uerũ eſſe credam. Ad hæc tẽporũ anni mala mutatio, cùm uidelicet anni quatuor partes ſuis in qualitatibus & naturis admodum uariant: uel etiam unius naturalis diei notatu digna mutatio. Vbi exanthemata(quas etiam papulas & puſtulas uocant)nedum pueros, uerumetiam adultos crebrò affligunt. Frequentes autumni tẽpore uenti meridionales & occidentales. Si prægnantes ex leui quauis occaſione abortiunt. Calores immodici exitiales ſunt. Quando æſtate à pluuia, ſubitò magna ranarum in tergo cinericiarum, in uen-

tre autem lutearum, aut alterius diuersi coloris, comparuerit copia. Rosæ ac uiolæ si sub autumnum secundò floreant, pestilitatem adferre cõpertum est. Numerosa insectorũ, muscarum, uermium & reptilium multitudo. Quadrupedum & natatilium multitudinis interitus. Annonæ caritas talis, ut cogantur homines mala cibaria comedere. Omnium certissimum præsagium calida & humida totius anni constitutio. Cùm item uidetur uelle pluere, neque pluit tamen: nam tunc aer est corruptus & densus. Cùm sol clarè splendet, ac immediatè subsequitur aura turbida. Hactenus de causis & signis in uniuersum.

Loca pesti magis obnoxia. Loca magis obnoxia pesti sunt, in quibus est putridarum aquarum abundantia: ubi multa sunt cadauera sepulta, ubi loca uiscosa & uaporosa. Augescit pestis in coniunctione & oppositione solis & lunæ: item cùm luna sub Saturno & sub Marte, ac præsertim eorum quadrato, permeat. Grassatur magis in exortu solis, occasu, meridie, & nocte media. Homines pesti magis obnoxij sunt habentes humores crassos, uel prauos, aut mul-

tos,& sanguinis copiam, nisi è corpore per uniuersalem euacuationem, id est, uenę apertionem, aut purgationem educantur: aut per scabiem & ulcera, quæ tamen minus tuta purgatio est: suntque præcipuè pueri & adolescentes, nubilésque puellæ: & qui temperaturæ sunt calidæ & humidæ, deinde qui calidæ ac siccę, ultimò qui frigidæ ac siccæ: quamuis postremi prioribus curentur dfficilius. Nulla ferè pestis ultra triennium sæuit: uel quia tam diu non habet fermè in quos sæuiat: uel quòd aer ipse, cùm sit leuissimæ substantiæ, ulteriorem putredinem pati non queat: & quæ cōputruerunt, non amplius sunt putrida: ut cocta, reddi amplius cruda nō possunt. Vix etiā fieri potest ne in tāto tēpore aer moueatur ac renouetur, & in uentos transferat quod corrūpitur: & deniq; Deus cūctipotés ac misericors modū imponit pœnarū malis, hominum pœnitētia, uel suorum electorū probitate ac precibus exoratus.

Notæ quæ hominem iam pestilentiâ correptum demonstrant plurimæ sunt. Primùm si exteriora, prę sertim extrema, frigent, interiora uerò ualde calent. Se-

Pestilētiâ correpti nota.

cũdum totius corporis grauitas, crebræ punctiones, ſudor fœtidus, laſsitudo, ſegnities, oſcitatio, fœtor anhelitus & difficultas: aliquando febris intenſa, magíſque in nocte quàm die moleſta. Tertiũ, capitis dolor intenſus & grauitas. Quartum, animi anxietas & triſtitia, uel ſyncopis & anguſtia: uel ſi tunc temporis ægrotantes citò mortẽ incurrunt. Quintum, propenſio mira ad ſomnum magna ex parte: interdum enim uigiliæ ac deliria moleſtant. Sextum, oculorum aſpectus toruus, ac color uarius. Septimũ, oris uentriculi ſeu ſtomachi dolor, appetentiæ deiectio, uehemens anguſtia, aeríſque attractio. Octauum, ſitis immẽſa, creber uomitus & uarij coloris, uel nauſea inſolita. Nonum, oris & linguæ amaritudo, nigredo ſeu citrinitas, & ſiccitas. Decimum, pulſus frequẽs, exiguus & profundus. Vndecimum, urina magna ex parte ueluti iumentorum turbida, craſſa, & fœtida: uel primò aquoſa, deinde bilioſa, denique confuſa & turbida: uel in principio eſt ſubcitrina & turbida, & poſt tempus rubicunda, ac ut plurimum ſine hypoſtaſi: quanquam in-

terdum hæc à ſanorum urina non multum abeſſe uidetur: ideo ex ea decipiuntur plures: eſt enim ſignum citiſsimæ mortis: quia totum uenenum relictis ferè partibus naturalibus colligitur ad cor. Duodecimum, omnium certiſsimum, ſi cũ febre, poſt aures, aut ſub alis, aut circa inguina potiſsimùm, bubones ſine manifeſta aliqua cauſa, aut in aliis etiã partibus carbunculi ſubitò oriantur: & cum in principio exoriuntur, naturæ robur prę ſe ferũt: ſed quo tardius, eo peius: nõnunquam in decretoria die apparẽt præcipuè uomitus, ſanguinis ſputum, ſudor, uentris fluor, ſcabies, puſtulæ, ac ſimilia.

Signa mortis in peſte correpto.

Signa mortis in peſte correpto præcipua ſunt, quando frequenter incidit in ſyncopim ſeu animi deliquium, ſudorẽ frigidum, nauſeam & uomitum in quo materia ſit uarij coloris præſertim ad nigrorem uergentis: ſi per ſeceſſum talem habeat fœtentem materiã, aut uiſcidam: nam aliquando poſt ſeceſſum aut uomitum cadunt in ſyncopim, uel etiam moriũtur. Si nigram aut plumbeam putridámue habeat urinam: fœtentem anhelitum: torporem, ſeu ſpaſmum: caſum

uirtutis motiuæ aut appetitiuæ inter initia, cum loquelæ perturbatione: internorum dolorem, ac coli præcipuè, atque uermes: ſi tumidum uentrem ac ſi hydropicus foret: uel ſi uarium faciei colorem habeat: aut maculas in corpore quæ citò deliteſcant. Quò magis hæc unà ad ſunt ſigna, eò certius moritur. Si eorum ſignorum nullum adeſt, interdum tamẽ moritur propter uarias acceſsiones, uel quia totum uirus reſidet in corde, & natura circa naturales operationes occupata, non tentat, aut non poteſt (niſi fortaſſe opportuno remedio adiuta à medico illud expellere. hinc fit, ut cùm inducias dare aut deſiſtere uidetur morbus, altius (ob aſsiſtentium aut medici negligentiam) radices agat, & perimat. Signa dubia ſunt cùm ſtomachus omnino abhorret cibum, & lingua eſt nigra atque arida, inquietus eſt æger, rationem amittit ſeu delirat, non dormit. hæc tamen ſi cum prędictorum ſignorum aliquo eueniant, certa ſunt mortis imminẽtis ſigna.

Cæterùm quòd pauci ſeruãtur in hoc morbo, nihil ferè in cauſa eſt (ſi diuinam iram ob peccata excipias) quàm homi-

num

num negligẽtia,ſtupiditas,medicamentorum & medicorum bonorum cõtemptus, ægrotantium mala in uictus regimine cuſtodia, corporum intemperantia,uel res anguſta domi: aut quòd paucißimis uelint adeſſe medici, ſibiipſis à periculo cauentes (nam multis capitalis pœna cenſetur) præſertim agnita ægrotantum ingratitudine erga tantum officium:cùm multi ſint qui uel in aliis non contagioſis morbis Deum tentãtes, malint mori diuites, quàm, non dicam uiuere pauperes, ſed ne parumper imminuatur pecuniarum ſuarum cumulus.at ut uincamus in bono malum, & gratuitò etiã inimicis beneficia obtrudamus, ad præſeruantia deueniendum.

Remedium igitur præcipuum erit ſoli cœlíque mutatio:utilißima enim ſunt tunc illa tria aduerbia,Citò,Longè,Tardè. Quòd qui facere non queunt, aut Christiana charitate affecti,nolunt, curent imprimis habitare in loco perſpirabili,cœlum nubilum uitãtes, frigus matutinum ac ueſpertinũ,fluminum & ſtagnorum auras,ac ſordida quæque. Aerẽ reddãt meliorem cùm publicè,tum pri- *Remedia cõtra peſtem.*

ſtatim, igne ac ſuffumigio facto cum rebus aromaticis calidis aut frigidis, ut temporis conſtitutionibus conueniens erit, ut aer exiccetur, ſicque prohibeatur putredo, & aer fiat boni odoris: prius igitur ignis fiat, tum ſuper prunis odorata ponantur. Quæ autem hæc præſtent, calida, ſicca, & odora erunt: qualia præcipuè ſunt abies, agallocum, ſeu aloes lignum, aloe, acorus ſeu calamus aromaticus, aſarum, citrei mali cortex, crocus, cinnamomum, cupreſſus, coſtus, galanga, caryophylli, iuniperi lignum & grana, libanotis ſeu roſmarinus, lauendula, lignum balſami ſi uerum haberetur, ladanum, laurus, laſerpitij lacryma, iuncus odoratus vulgò ſquinantum, myrrha, aſphalthum, menta, cuius folia arida facta in umbra etiã aduerſus uenena ſeruantur, ocimum, origanum, pinus, phu ſeu valerianæ radix, pulegium, robur ſeu quercus, ſaluia, ſauina, ſarmenta, ſtyrax, ſcordium, thus, terebinthina odorata, tamariſcus. Compoſita etiam pro ſuffumigio inde fieri poſſunt, ut trociſci, pulueréſq; craſſiores: pro ditioribus habentur in officinis gallia moſchata, uel

alipta moſchata,auiculæ cypriæ uocatæ, quæ ueluti candelæ paruæ ſunt nigri coloris, quæ incenſæ miram reddunt fragrantiam:quarum unus modus talis eſt.

℞. ladani puri,ſtyracis calamitæ,myrrhæ, maſtiches, thuris, ſing. unc. ſemis, maioranæ,ciperi,uel iunci odorati,roſarũ rubearũ,ſing. unciã, cinnamomi, caryophyllorũ,ſantali citrini, ſpicæ nardi, macis, ſing drach. ſemis, carbonũ ligni ſalicis aut tiliȩ lib.ſemis,ſtyracis liquidȩ unciã, aquæ roſarũ quantum ſatis eſt ad cõpletã eorum incorporationẽ,addendo etiã parũ terebinthinæ odoratæ, uel plus ſtyracis liquidæ,ac ſecundũ artẽ formẽtur, adiiciendo ad placitũ & iuxta tẽpus cãphoræ uel moſchi aut ambræ parum.

Pro æſtate erũt roſæ,myrtus,nenuphar uterq;, omne ſantalũ,uitis palmites,cotonea, aurantia poma odore præcipua, oxycratũ quo muri ac pauimentũ irrorentur cũ caliditate moleſtat aer:túncq; etiã loca eligãtur umbroſa, & ſeptẽtrionalia,reprimatúrq;(ut iam dixi)aeris caliditas aquȩ frigidȩ cũ aceti parte aſperſione,uel roſacea & aceto, aut linteamina his madida affigãtur parietibus,ſpar-

gantur folia & flores ex rebus frigidis: ac pari modo per contrariũ corrigantur aliç qualitates aeris:renouetur quoq; inclusus cubiculis aer hora sereniore diei, & à septẽtrionis parte in æstate, ab oriẽte aliis tẽporibus,nisi aliud obstet. Illud etiã inter cætera cauẹdum , ne canes uel catti nostri domestici tẽpore pestis extra domũ uagẽtur:facilè enim contagiũ adferrent.Qui sani sunt,& fortiora præseruãtia respuunt, hoc saltẽ curabunt,ut cũ domo exeant aut aliquẽ morbi suspectũ alloquũtur,ne à propinquo & uento spirante id fiat, teneantq; in ore ac mãdant parũ radicis angelicæ, uel zedoariæ, uel citri corticẽ, aut dictamnum, uel simile aliud. Pauperes frustulũ raphani habebunt, uel sument aliquando manè (præsertim hyeme & uere,ac nõ biliosæ tẽperaturæ homo) unum aut alterũ cochlear uini raphani,quod hoc modo parãt:Raphanũ bene mundũ & in frustula concisum pone in phiala aut paruo cantharo uini odorati subtilis & albi seu citrini, sicq; operculatum uas dies octo dimitte, tum raphano excolato & abiecto , uino utere: potes simul addere aliquid tẽpori

ac tibi cõueniens, ut ualerianæ radicem, uel iuniperi grana, uel aliud quoduis. Rutam odora uel ſolam, uel prius aceto madidã: aut ſpongiã raram tali aceto rutaceo imbutam tecũ exiens defer, & ſæpè naribus & ori admoue, uel lauri folia confracta: ęſtate roſaceã aceto miſce aut uiolaceã. Qui infirmos uiſitare cogũtur, etiã radicem helenij ſeu inulæ in ore teneant. Si ditior aut delicatior es, poteris habere pomũ ambræ uocatum ſeu orbiculũ aliquod odoratũ, quorũ ubique uaria eſt cõpoſitio ex ladano & ſpeciebus ac ſuccis odoratis: uel cotoneum, aut aurantiũ pomum odora: roborantur enim ſpiritus odore aeréq; bono. facies, os, dẽtes, & manus, uel aqua ſalſa, præſertim hyeme, uel roſacea, tertia uel quarta parte aceti addita, lauentur, addãtur hyeme caryophylli cõtuſi, uel lauendulæ flores.

SED ut breuiter fortiora etiam remedia & generalia indicem, Ante omnia mortis metum abiice, ſed nõ DEI timorem: neque propterea periculũ ames, aut temerè incurras, niſi proximi charitas, aut rebus omnibus anteferenda CHRISTI gloria, urgeat. Educantur quampri-

mum à corpore humores praui, uel pilulis cõmunibus, quæ ferè alternis diebus ſumi poſſunt, aut paulò fortioribus aliis infrà deſcribendis, (niſi ſumma ſit æſtas) uel alio iuxta peccãtes humores conuenienti, nec forti tamen medicamento, ut caſsia, manna, rhabarbaro, & ſimilibus: adiectis ſemper his quę cor roborẽt iuxta tẽpus & reliquas indicationes: aperiãtur etiã obſtructiones decoctis & oxymelite, uel acido ſyrupo, aut byſantino, aliisq; conuenientibus: & prohibitę perſpirationes temperata lotione ac deterſione, aut frictione & olei chamæmelini aut rutacei (ſi frigus erit) unctione, ne occaſio ſit nouæ putredini. Si ſanguinis abundantia, plethoráue adſit, feſtinanda eſt in primis uenæ ſectio, prout ætas, uires, & reliqua conſenſerint, fiatq; in loco clauſo & aere prius rectificato. communitérque mediana ſecanda eſt, uel uena quæ tumidior fuerit, præmiſſo (ſi aluus ſit ſtricta leniente enemate, uel glande iuxta bo orũ medicorum canones & rationem ipſam. In ſexu fœmineo ſaphena aperiatur, ut menſes fluant ſuo tẽpore, iuuentúrq; ad hoc etiam decocto, uel

puluere aliquo idoneo,qualis iſte eſt,uidelicet. ℞. cinnamomi electi unc. ſemis,ſeminis liguſtici communis (quod hippoſelinũ eſt) drach. duas foliorũ betonicæ,rutæ,hypericonis,pulegij, meliſſophylli,ſatureiæ ſing. drach. 1. abſinthij, gentianæ,baccarum lauri ſing. drach. ſemis. fiat puluis ſubtiliſſimus, ex quo detur cum iure aliquo appropriato per aliquot dies ante menſium purgationem: nam prouocando menſes, etiam à peſte præſeruat. In peſte correpto fienda eſt uenæ ſectio intra ſex horas, aut quàm citius fieri poteſt, & è directo affectę ſeu dolentis partis: neque ante illam dormiat, nec pòſt ante quinque uel ſex horas. poſt demptum ſanguinem, ſtatim antidotum aliquod cum liquore conuenienti detur, ac ſudor eliciatur: quorum ſanguis fœtet, deplorata eſt ſalus. Sed ad ſcopum prę ſeruationis redeo.

VICTVS regimen, ex rebus boni ſucci & ſubtile ſit,& exiccans: debent enim eo tempore ſicca corpora in ſua ſeruari ſiccitate, humida uerò ſiccari: nullo tamen laborioſo exercitio, aut ſudatorio præſertim publico, aut in aere infecto,

ſed frictionibus potius, ſobrietate, ac idoneo cibo ad acetoſum uergēte. Et potiſsimùm æſtate aceto, uel omphacio, ſuccóue granatorum, uel uerberorum, oxalidis, aliorumq; acetoſorū ad intinctus utendum aut cōdimenta. hoc etiam puluere (citra æſtatem) uel ſimili, condiātur cibaria uel aſpergantur. ℞. granorum paradiſi ſeu meleghettæ, tormētillæ, dictamni albi uel pſeudodictamni ana drach. ſex, caryophyllorum, cinnamomi ſubtilis ana unc. ſemis, terātur in puluerē addito ſaccharo albo ad dimidium. Piſcibus bonis (præſertim æſtate) licebit aliquando ueſci coctis in aqua cū modico aceto & aromate aliquo, ut cinnamomo aut gingibere: poſt quos duas uel tres nuces prius in aceto madefactas comedes: alimenta facilè putreſcētia, uel multa, uel admodum uaria, longámque inediam, aut cruditatem dimitte, quæ omni tēpore nocent, non ſolùm in peſte. Cū in aere coruſcationes ac ſimiles impreſsiones apparuerint ante fructuū collectionem, illius temporis fructus præſertim horarij, aut olera, paucis ad rē facientibus exceptis, uitanda ſunt. ablege-

Ber Berom

tur porcina caro, aues aquaticæ, piſces malarum conditionum aut plurimi, & ſimilia.nec aqua bibenda eſt quæ in terrę natat ſuperficie.æſtate oligophoro ſeu aquoſo uino utendum,uel poſca(quę eſt aqua ex aceto temperatè mixta)tollenda eſt ſitis: uitentúrque factitia, mala, ſeu ſophiſticata uina. Somnus ſit moderatus,coitus rariſſimus aut nullus: animus ſobriè hilaris ex corde puro, conſcientia bona, & ſpe. ſint procul timor & ira.

Fortiora adhuc præſeruantia(præſertim facta purgatione uel uenæ ſectione) ſunt theriaca magna ſi bona eſt, (cuius qualitas qualitati peſtis,id eſt,uenenoſitati aduerſatur) cum calidis aut frigidis pro ratione tẽporis & hominum exhibita: aut ea quæ ex quatuor rebus conſtans,Diateſſaron vulgò dicitur:aut Mithridaticum antidotum commune, uel illud regium ex quatuor rebus paratu facile:Electarium de ouo: (non combuſto ut pharmacopœi ignari faciunt.) Electarium lupi uocatum, aut liberantis: modò tempore conuenienti ſumantur & menſura. Ruſtici cæpe crudum edant ſummo mane, aut allium:uel pul- *Remediu alia.*

ueris radicis ariſtolochiæ rotũdæ drach.
unam uel ſemis uel ſcrup. unum ſumant cum ceruiſia calida, aut uino uel alio potu conuenienti: à præcordiis enim purgat, & putredini reſiſtit. Præſtarent bolus armenia, uel terra ſigillata ſeu lẽnia, uel unicornu, ſi uera haberentur uenalia: ſed hæc uel adulterata reperiuntur, uel penes magnates aut pauciſſimos ſeruantur. Scito tamen qui vulgò bolus orientalis dicitur, eſſe ueram lemniam terram: quæ autem ſigillata eſt, inſyncera eſt noſtris temporibus ut plurimum.

Simplicia laudatiora.

Ideò ulterius aliqua ex multis cognitis non minus tuta, paratu facilia, uſuque & authoritate comprobata, præter iam dicta, huc adferam. Ac primò ex ſimplicibus laudatioribus ſunt mali citrij ſuccus uel ſemina, imò omnes pomi partes uenenis contrariæ ſunt: Carduus benedictus ſeu herba Turcica, in cibo uel potu omnimodo: Vincetoxicum ſeu hirundinaria herba, origanum, ſerpillum, ſiſimbrium, ruta, bugloſſum, ſonchus, agaricum, betonica, lauri baccæ, hypericon, camphora & ſantala omnia æſtate. Angelicæ radicis uel ſeminis ſcrupulus

cum uino,aceto,uel rosacea(pro tempo-re)bibitus: nam uenenum sudore & uri-na abigit. Tormentillæ radix, dictam-num Cretẽse, pimpinella, carlinæ radix quæ est albus chamæleon, Imperatoriæ radix seu Astrãtiæ, ruta capraria seu ga-lega omnibus modis proficua. Scabiosæ aqua uel succus,gentiana,cruciata, ace-tosa seu oxalis, cerui cornu puluis,radix morsus diaboli vulgò dicta. Inter lapi-des sunt margaritæ,lapis bezahar,coral-li,smaragdi ad læuorem contriti, & po-tu sumpti conuenienti. Et his ac simili-bus fiũt composita uaria: ut sacculus pro corde præseruans & curans,huiusmodi.

℞.Sapphyri,Smaragdi,hyacinthi,ru-bini, corallorum rubeorum & alborum sing.drachmam,croci scrupulum, mar-garitarũ drach.semis,ambari grana sex, radicis iridis siccæ & odoræ unc. semis, cornu ceruini usti drachmã,auripigmẽ-ti unc. semis, arsenici albi drach. duas: terantur omnia,& fiat sacculus cum sin-done purpurea,cordísque regioni appo-natur.nec timendum est ex appositis ue-nenis, imò uenenum unum aliud à cor-de repellet; si ulcuscula aut uesiculas in

ea parte induxerit, etiã tutius eſt. Fuere aliqui, qui ſolius arſenici fruſtum appẽdêre. Experti ſunt nonnulli etiam fide digni, bufonem in puluerem redactum, & ſacculo cordi applicitum ad præſeruationem: eius uenenum, dum in ollula uritur, tollitur ferè, ut in omnibus quæ uruntur. Optimum eſt & oleum ex multis ſcorpionibus uel uiperis, aliiſque alexiteriis ſecũdum artem factum, ſi eo ſemel uel bis quotidie arteriæ pulſatiles cordiſque regio liniantur ac nares, iugulum, osq́ue uentriculi: obruente morbo bibitur etiam ex eo unc. ſemis, uel minus iuxta ſumẽtem: ſunt enim extremis morbis extrema adhibenda remedia, & fortia fortibus: & tutò curanti non à leuioribus, ſed ab æqualibus inchoandum eſt. Inungitur & iuniperinũ oleum. Puluis ſudorẽ eliciens ac præſeruans, præcipuè facta phlebotomia uel purgatione.

Puluis.

℞. Dictamni albi unciam, radicis tormẽtillæ unc. ſemis, tere & miſce: da drachmam cum aqua ſcabioſę uel endiuiæ & aceti modico, ac ſub ſtragulis bene tectus dormiat ac ſudet: peſte autem correptus addat tantundem theriacæ, ac ſi-

ne ſomno ſudet. potes loco dictãni carduum benedictum accipere, ac eius decoctum. Idem fiet cum liquoris ſtillatij nucum immaturarum unciis 6.

Puluis alius illos etiam à peſte præſeruans qui ipſa affectis inſeruiũt. ℞.tormentillæ, boli armenij præparati, corallorum utrorumque, dictamni albi, gentianæ, lemniæ ſphragidis ſeu terræ ſigillatæ ſing. drachmam, omnibus tritis & mixtis, da quaque die drachmam ieiuno cum roſacea, aut endiuiæ, uel oxalidis, aut ſcabioſę aqua, uel cum uino.

Proficit & pueris ſcrupulus, nam uermes ab his tũc potiſſimũm pellẽdi ſunt, ob quos magis peſti ac denique morti fiunt obnoxij: pro qua re etiam ſequens puluis apprimè cõueniet: ℞. cornu cerui uſti, ſeminis abſinthij vulgaris, uel ſantonici, vulgo Alexandrini ſeu ſeminis ſancti, aut etiam muſci marini quam officinæ corallinam uocant, (quę ſola ſatis foret) zedoarię, nucleorum perſici ſing. unc. ſemis, macerentur amygdalę perſici in aceto, ſiccentúrque, & omnia in puluerem redigantur: ex quo per aliquot dies detur, ungatúrque anus buty-

ro & saccharo mixtis, uel melle puro: aut supponatur penidium. potest etiam emplastrum per noctem umbilico & uentri apponi ex rebus appropriatis, ut absinthio, menta crispa uel romana, farina lupinorum, foliis persici, & felle tauri. æstate his uel prægnantibus mulieribus ac pauperibus dari potest bolus acetosę herbę aceto maceratę: idem cum scabiosa uel similibus fieri potest: uel eorum aquis cum uino modico hyemę, æstate cum tribus guttis aceti, quę pręgnantes etiam radicem tormentillę in ore deferant, odoréntque acetum & mentam, uel

Pilulæ. panem tostum aceto tinctum. Pilulę pręseruantes & curantes de quibus suprà innui. ℞. aloes electę unc. duas, myrrhæ electæ, uel eius loco (nam sæpè uix bona reperitur) aristolochiæ rotundæ unciam, croci drachmam semis, boli armenij præparati drachmam, tormētillæ, dictamni, singulorum sesquidrachmam, seminis acetosę, seminis pomi citrei sing. drachmā semis, Rhabarbari drachmas duas, salis gemmę, spicę, singulorum drachmam: cum serapio de acido citri succo in globum redigantur pro pilulis: da

ieiuno drachmam, bis uel ter in septimana secundum necessitatem. In sola præseruatione præsertim humidioribus ut Germanis, conuenient sequentes:

℞. massæ pilularũ de hiera drachmã, pilularum de mastiche drach. semis, agarici trociscati scrupulum, gingiberis, spicæ sing. grana duo uel tria, cum aqua radicum inulæ, uel aqua scabiosæ: fiant pilulæ paruæ, sumat in una uice, si debilior sit, in duobus diebus, ac bis uel ter in anno satis erit moderatè uiuẽti. Remedium aliud pro pauperibus uel ad dimidium annum præseruans, quo potissimum non calido tempore seniores uel humidi utantur. ℞. artemisiæ, saluiæ, summitatum sambuci sing. manipulum unum, gingiberis unciam, uini ueteris mensuras duas, incisa coque lento igne ad dimidium, in olla uitreata cooperta, infrigida tũ percola, sume tria cochlearia quotidie usq; ad octo dies uel nouẽ.

Aliud. ℞. castorei ueri, aristolochiæ rot. ana drachmas duas, gentianæ drachmam, baccarum lauri drachmas 4. ex omnibus fiat puluis. sume drachmã (uel minus pro sumẽtis ætate & natura) cum

aceto rosato, aut uino, uel aqua idonea semel in die in præseruatione, bis autem in curatione.

Puluis contra peste correptum. ℞.radicum dictamni, tormentillæ, ana drachmam, myrrhæ electæ drach. duas, croci, melissophylli ana drachmam, cinnamomi, seminis ocimi ana drach. semis, aloes puræ, uel lotæ (si minus purgare, & uentriculum roborare uis) ad pondus omnium: fiat puluis subtilis, detur drachma in aqua rosacea uel acetosæ. Si retinuerit & sudauerit, sanitati restituetur: si euomuerit, morietur ut plurimũ. Sed cum de morbi curatione præcipuè non proposuerim tractare, finem dicendi facio: neque enim desunt antiquorum & neotericorum præsertim, hac de re libri multi, quibus tamen non vulgaris accedat cognitio, prudentia, & iudicium oportet.

FINIS.